ARTICVLI PER ARCHIEPISCOPVM, Episcopos & reliquum Clerum Cantuariensis Prouinciæ in Synodo inchoata Londini, vicesimo quarto die Mensis Nouembris, Anno Domini 1584. Regnique Serenissimæ in Christo Principis Dominæ Elizabethæ, Dei gratia Angliæ, Franciæ & Hyberniæ Reginæ, fidei Defensoris &c. vicesimo septimo stabiliti, & Regia auctoritate approbati & confirmati.

Londini,
In ædibus A. I.

ARTICVLI

PER ARCHIEPIS-

copum, Episcopos & reliquum Cle-
rum Cantuariæ Prouinciæ in Synodo in-
choata Londini, vicesimo quarto die Martij No-
nembris, Anno Domini 1584. Regnique Serenissimæ in
Christo Principis Dominæ Elizabethæ, Dei gratia
Angliæ, Franciæ & Hyberniæ Reginæ, fidei
Defensoris &c. vicesimo septimo Re-
gnique
primo &c.
Promulgati.

Londini,
In ædibus A.I.

Vt homines idonei ad sacros ordines, & Beneficia (vti vocant) *Ecclesiastica admittantur.*

PRimò cautum est, ne quis posthàc ad sacros ordines suscipiatur, qui non eodem quoque tempore Præsentationem suiipsius ad Beneficium aliquod intra diœcesim siue Iurisdictionem eiusdem Episcopi à quo sacros ordines petit, tunc vacans exhibuerit: Vel qui non eidem Episcopo certum, verum & indubitatum Certificatorium attulerit de Ecclesia aliqua intra diœcesim siue Iurisdictionem dicti Episcopi, in qua curæ animarum inseruire possit: Vel qui in aliqua Cathedrali aut Collegiata Ecclesia, vel Collegio Cantabrigiensi aut Oxoniensi non fuerit constitutus: Vel saltem, qui ab eodem Episcopo in Beneficium aliquod, siue ad Curam (vti vocant) inseruiendam tunc etiam vacantem, non sit mox admittendus.

Deinde, ne quis Episcopus posthac aliquem in sacros ordines cooptet, qui non ex sua ipsius Diœcesi fuerit: nisi vel ex altera nostratium Academiarũ prodierit: vel, nisi literas (vt loquuntur) Dimissorias ab Episcopo cuius Diœcesanus existit attulerit, & vicesimum quartum ætatis suæ annum iam compleuerit, ac etiam in altera dictarum Academiarum gradum aliquem scholasticum susceperit: Vel saltem, nisi rationem fidei suæ iuxta Articulos illos Religionis in Synodo Episcoporum & Cleri approbatos Latino sermone reddere possit, adeò vt sacrarum literarum testimonia, quibus eorundem Articulorum veritas innititur, recitare etiam valeat: Ac vlterius, de vita sua laudabili & morum integritate literas testimoniales sub Sigillo vel alicuius Collegii Cantabrigiensis aut Oxoniensis, vbi antea mo-

ram fecerit, vel alicuius Iusticiarii ad pacem D. Reginæ conseruandam assignati, vnà cum subscriptione & testimonio aliorum proborum & fide dignorum hominum eiusdem Paræciæ, vbi per tres annos antè proximè elapsos commoratus est, exhibeat.

Quòd si verò aliquis Episcopus aliquem ad sacros ordines admiserit, qui prædictis qualitatibus non sit præditus, is per Archiepiscopum, assidente sibi hac in parte vno alio Episcopo, ab ordinatione Ministrorum & Diaconorum per integrum biennium suspendatur, ac eam præterea pœnam incurrat, quæ de iure in eiusmodi Episcopos, qui ad ordines Ecclesiasticos sine titulo aliquem promouebunt, statuitur.

Ad hæc, ne quis Episcopus aliquem in Beneficium (vti vocant) instituat, nisi qui prædictis conditionibus ornatus fuerit.

Quòd si Curia de Arcubus aut Audientiæ per viam duplicis querelæ, seu alio quouis modo contra Episcopum hac in parte agat, quia homines minimè idoneos ac habiles admittere renuit: tunc licebit Archiepiscopo, vel auctoritate propria, vel gratia speciali ab Regia Maiestate impetrata, eiusmodi processus amputare, quò laudabilis Episcopi industria debitum ea ratione sortiatur effectum.

Denique, vt quolibet anno ad festum S. Michaelis Archangeli, vel intra sex hebdomadas idem festum subsequentes, vnusquisque Episcopus numerum, nomina, gradus & qualitates eorum omnium quos in sacros ordines, vel in aliqua Beneficia eodem anno præcedente promouerit, ad Archiepiscopum transmittat.

De moderanda solennis Pœnitentiæ commutatione.

NEqua fiat posthac solennis Pœnitentiæ commutatio nisi rationibus grauioribusque de causis, atque adeò cum ipsi Episcopo constiterit, eam esse ad Reum reconciliandum

andum & reformandum sanioremq; & tutiorem rationem.

Deinde, quòd mulcta illa pecuniaria vel in relevamen pauperũ eiusdẽ Parœciæ, vel in alios pios vsus erogetur, idque ecclesiæ solẽniter & fideliter approbetur & innotescat.

Quòd si verò crimen fuerit notorium ac publicum, Reus ipse vel in propria sua persona publicè in Ecclesia pœnitentiam suam minimè fictam proficendo, læsæ Ecclesiæ satisfaciet, vel Ecclesiæ ministerin præsentia ipsius Rei, palam è suggestu, eius submissionem, & pœnitentiæ suæ coram Ordinario suo peractionem, atque etiam in veræ suæ resipiscentiæ testimonium quantam pecuniarum summam in vsus supradictos erogandam reddiderit, denuntiabit.

De moderandis quibusdam indulgentiis, pro celebratione Matrimonii absque trinundinâ denuntiatione, quam Bannos vocant Matrimoniales,

QVandoquidem honestæ, claræ ac illustris conditionis homines, siue vrgente aliqua necessitate, siue aliis non contemnendis rationibus, Matrimonium aliquando celebrandi causas habere possunt, facultate sibi de Bannis matrimonialibus aut non omninò, aut semel itenímue denuntiandis indulta, sine aliquo graui scandalo seu detrimento: Idcircò ad euitanda generaliter quæ hæc in parte notantur incõmoda, visum est caueri ne vllæ facultates siue indulgentiæ de celebrãdo absque Bannis Matrimonio cõcedantur, nisi idonea cautio priùs sub hisce conditionibus ineatur: nimirum, Primò, quòd nullũ postea constabit impedimentum Præcontractus, Consanguinitatis, Affinitatis, vel vllius alterius legitimæ causæ cuiuscunque ratione. Secundò, quòd eo tempore quo eiusmodi facultas siue indulgentia concedetur, nulla controuersia, lis seu querela mota est, vel dependet coram aliquo Iudice Ecclesiastico aut Ciuili, de eiusmodi legitimo impedimento Matrimonii inter huiusmodi personas contrahendi aut contracti. Ac tertiò,

tiò, quòd ad Nuptiarū ſolennizationem non accedent, niſi aſſenſu & expreſſo conſenſu Parentum ſiue tutorum priùs impetrato. Et vlteriùs, quòd Matrimonii celebratio publicè ac tempeſtiuè in facie Eccleſiæ fiet. Cuius quidē cautionis formula ſeu exēplar in ſcriptis cōcipietur, ac vnicuique Epiſcopo in ſua cuiuſque Diœceſi imitanda proponetur.

Prouiſò ſemper, quòd quicunque contra hanc ordinationem deliquerit, ab executione officii per ſex integros menſes ſuſpendetur.

De quibuſdam circa Excommunicationem excesſibus coercendis ſiue reformandis.

QVia Excommunicationis vſus in Eccleſia perpetuæ legis vigorem iam obtinuit, atque in omni iuriſdictione eccleſiaſtica exercenda hucuſque retinetur, ideò abſque grandi mutatione totius eiuſce iuriſdictionis & plurimarum huius Regni legum, innouari vel alterari nequit. Nihilominùs, vt Excommunicatio (quæ auctoritatis ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ quaſi neruus quidam ac vinculum habendum eſt) ad priſtinū ſuum vſum, decus & dignitatem reducatur: cautum eſt, vt quotieſcunque Cenſura iſta in immediatā pœnam cuiuſuis notoriæ Hæreſeos, Schiſmatis, Symoniæ, Periurii, Vſuræ, Inceſtus, Adulterii, ſeu grauioris alicuius criminis venerit infligenda, ſententia ipſa vel per Archiepiſcopū, Epiſcopū, Decanū, Archidiaconū, vel Præbendarium, (modò ſacris ordinibus & Eccleſiaſtica iuriſdictione præditus fuerit) in propria perſona pronuntiabitur, vnà cum eiuſmodi frequentia & aſsiſtentia, quæ ad maiorem rei autoritatem conciliandam conducere videbitur.

Denique, quòd vnuſquiſque Vicarius Generalis, Officialis ſeu Commiſſarius, qui ordines Eccleſiaſticos non ſuſceperit, eruditum aliquem præsbyterum ſibi accerſet & aſſociabit, qui ſufficienti auctoritate vel ab ipſo Epiſcopo in iuriſdictione ſua, vel ab Archidiacono (Præsbytero exiſtente)

ſtente) in iuriſdictione ſua munitus, idque ex præſcripto ipſius Iudicis tunc præſentis, Excommunicationis ſententiam pro contumacia denunciabit.

Volumes etiam, vt ſicut conſtitutum eſt eiuſmodi excommunicationem per Miniſtrum Eccleſiæ denuntiari: ita ipſe Iudex de abſolutione ipſius Rei poſt ſatisfactionē ſuam peractam, eundem Miniſtrū certiorem faciet, qui eandem abſolutionem populo publicè denūtiabit. Ac interim quòd benè licebit dicto Miniſtro Reum à ſacris arcere & repellere tanquam in Eccleſiam minimè recipiendum, donec eiuſmodi Certificatorium ab ipſo Iudice exhibuerit.

De Beneficiorum pluralitate cohibenda.

QVòd nemini in poſterum facultas ſiue indulgentia concedetur de pluribus Beneficiis ſimul retinendis, niſi huiuſmodi tantùm, qui pro eruditione ſua & maximè digni, & ad officium ſuum pleniùs præſtandum maximè habiles & idonei cenſebuntur: Nimirùm, vt is qui huiuſmodi facultate fruiturus eſt, ſit ad minimum Artium Magiſter, & publicus acidoneus verbi Diuini Cōcionator: Ita tamē, vt idonea etiam cautione obſtrictus teneatur, de perſonali ſua reſidentia in ſingulis beneficiis per bonā anni cuiuſque partem facienda, & quòd eiuſmodi Beneficia triginta milliarū ſpatio ad ſummum non diſtent ab inuicem. Denique, quòd idoneum Curatū habeat, qui plebem eius Parœciæ in qua non reſidebit, inſtituat ac informet, modò facultates eiuſdem beneficii talem cōmodè ſuſtinere poſſe Archiepiſcopo vel eius Diœceſeos Epiſcopo videbuntur.

De feodis quæ Officiarijs Eccleſiaſticis & eorum miniſtris debentur.

CAutum inſuper volumus, quòd neque alia neque maiora feoda ab Epiſcopo, Ordinario, Archidiacono, vel eorum

eorum ministris de inceptis illa de causa percipiantur, quam ea quæ ipeunte hoc regnũ Regia nunc Maiestate percipi solebant. Quodque tabula quædam singulorũ huiusmodi feodorum summas continens, in quolibet Consistorio ante festum S. Iohannis Baptistæ proximè venturum figatur, cuius exemplar manuipsius Ordinarii subsignatũ intra tempus prædictum ad Archiepiscopum transmittetur.

Proviso semper, quòd neque Archiepiscopo, neque Episcopo, vel directè vel indirectè, aliquam pecuniarum summam proadmittendis ad sacros ordines hominibus accipere licebit, idque sub pœna Iuris.

De inquisitione per Episcopos incunda.

QVamprimùm commodè fieri poterit, vel ad summũ intra vnius anni spatium post huius Synodi finem, quisque Episcopus de singulorum Ministrorum qui in sua diœcesi degunt conditione, moribus ac eruditione diligenter inquirat: per quos etiam & quo tempore ad sacros ordines admissi, quodque vitæ genus sectati sint priusquam in ministerium sunt cooptati, ac de hisce omnibus ipsum Archiepiscopũ intra dictũ tempus debitè certiorem faciet.

Episcopi in sua quisque Diœcesi de omnium Rectoriarũ, Vicariarum, ac cæterorũ ecclesiasticorũ beneficiorum suæ Diœceseos valore annuo, iuxta censum libri illius qui Primitiarum dicitur, si modò ibidem censeãtur: aliter verò, iuxta communem eorũ æstimationem. Quot item Appropriationes, cuius veri valoris annui, & qui sint earum Proprietarii: Nec non de Curatorum salariis annuis, diligentem facient inquisitionem. Ac de hisce similiter omnibus intra tempus anteà præscriptum, dictum Archiepiscopum certiorem reddent.

FINIS.

x59592

A.